



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus**

Complectens Octobrem, Novembrem, Decembrem

**Nepveu, François**

**Monachii, 1709**

Dies 4. De Mortificatione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60533)

*eruas me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum* November.  
*ne auferas à me.*

Exhortamur, ne in vacuum gratiam  
Dei recipiatis. *2. Cor. 6. v. 1.*

Sævis in occulto spargens pœnales cœ-  
citates super illicitas cupiditates. *Aug.*

---

## DIES IV.

### De Mortificatione.

#### I.

**D**Octrina Christi ad mortificationem ita  
nos obligat, ut ab ea immunis esse  
nemo nostrum possit. Evangelium uni-  
versum hanc nobis tradit veritatem. E-  
vangelium liber est vitæ; sed Christus in  
eo non nisi de mortificatione loquitur. Hæc  
juxta ipsum unica via est, qua ad vitam  
pervenire possumus. Hæc Servatoris ex-  
hortatio toties iterata, qua docet, sibi ipsi  
& inordinatis propensionibus renuntian-  
dum, crucem suam portandam odium in-  
animam suam habendum, eamque perden-  
dam, per viam angustam eundum; hæc,  
inquam, exhortatio, quid nobis indicat,  
nisi, quod carnem & sensus, animique mo-  
tus subigere debeamus? Poterátne Chri-  
stus potentius aliquid dicere? poterátne a-  
mos



**November.** mor suis, quantumvis ingeniosus, huius præcepti vim eludere? imò poteratne terribilius quid nobis dicere, si hæc doctrina non consilium, sed præceptum completatur? potestne quis hac de re dubitare, nisi seipsum excæcare velit, ut stultè sibi blandiatur.

**II.** Mortificatio Christiana opus est non ultroneum, sed tale, ad quod lege divina tenemur. An non omnes Christiani Christum sequi, & ejus discipuli esse obligantur, cum non nisi ex hoc titulo Christiani sint? an nõ sibi ipsis renuntiare, crucem suam portare, hoc est genio, & naturæ suæ repugnare, ipsis incumbit? quãdoquidè, si Christo credimus, unum necessariò sequitur alterũ? *Luc. 9. v. 23.* *quicumq; vult post me venire, inquit, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie.* Si seipsum abnegare, corporis voluptates, & incompósitos animi motus reprimere, consilium tantummodò foret, cur minaretur animæ interitum, damnationem videlicet æternam iis, qui hac in re nimium parcere sibi vellent? alia via cælo potiundi præter viam arctam, non est. An non igitur omnĩ ex parte necessarium hæc incedere, si ad cælum pertingere cupimus? verum ut omnis hac super re dubitandi ratio nobis eximatur, Evangelium dilucidis verbis ostend-



stendit, Christum, cum de sui abnegatione, de cruce portanda loqueretur, omnibus id præcepisse: dicebat autem ad omnes. *Luc. 9. 23.*

Nulla itaque dignitas est, conditio nulla, officium nullum, ætas nulla, sexus nullus, quem hac lege exemptum velit, sicut nullus est, qui à Christo sequendo eximitur.

III. Cum ergo Christus omnibus hoc dixerit: id utique dixit huic fæminæ delicatæ, & sensuum blanditijs deditæ, cujus præcipuum studium est, evitare, quidquid eam affligit, quidquid ei incommodat, quantumvis id ejus saluti utile, & fortasse necessarium sit; & quærere, quidquid ejus carni, sensibus & cupiditatibus lenocinatur, licet id ejus saluti sit perniciosissimum. Hoc omnibus dixit; ac proin id dixit huic homini libidinoso, qui nunquam novit, quid esset, carnem hanc rebellem, & corruptam subigere, quid immoderatos cupiditatum impetus reprimere. Itaque hac obligatione nemo est exemptus; neque ulla ratio quemquam eâ reddit immunem. Quid ergo te immunem redderet? tua dignitas? éstne illa eminentior dignitate S. Caroli Borromæi, cujus hodie festa dies agitur? quis unquam majorem in seipsum exercuit severitatem? quamvis Princeps esses, si tamen Christianus fores, ad mortifica-




**November.** ficationem tamen obligareris. An vitæ tuæ innocentia? si hoc ita se habet, mortificatio tibi necessaria est, præcautionis saltem loco. Quis S. Carolo innocentior fuit, & magis in seipsum austerus? An occupationes tuæ? habesne majores, easque gravioris momenti, quàm vir iste sanctus, cuj aliquamdiu incubuit totius Ecclesiæ, & dein magnæ Diœceseos cura? & tamen inter omnes hæc curas, & labores vitam agebat austeram, & eâ, quam Anachoretæ Thebaidos egerunt, severiorem. An non exemplum sancti hujus Antistitis ignaviam tuam tibi exprobrat, tuamque vivendi rationem damnat?

*Confer te ad S. Carolum, eum precaturus, ut à Domino tibi obtineat spiritum mortificationis, cuj ipse tantopere fuit addictus.*

Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat Crucem suam quotidie, & sequatur me. *LUC. 9. 23.*

Crucem ferre est semetipsum mortificare. *Bern.*



**DIES**